

DE CICERONIS FRAGMENTIS.

Specimen quintum

scripsit

Fridericus Schneider Vratislaviensis,

Philosophiae doctor, artium liberalium magister, superiorum ordinum
Gymnasii Regii Tremesnensis praeceptor.

Praefatio.

Munus commentationis, quae programmati hujus anni scholastico praemitteretur, conscribendae certis de causis, quas nosse lectoris nihil interest, praeter opinionem mihi et sero i. e. eo tempore demandatum est, quo dissertationes prolusionibus illis subjiciendae plerumque esse jam typis descriptae solent. Itaque quum alia nimis impedita, quae edere constitueram, neque persequi mihi neque absolvere per temporis angustias liceret, quumque alia viderem latius patere, quam quae paucis plagulis, quae concessae hujus modi scriptionibus sunt, comprehendi possent, factum est ut ad ea me scribenda conferrem, quae neque temporis multum neque laboris requirerent, et quae quum terminos haberent arbitrarios, conferri in paucas paginas possent. Redii igitur ad Ciceronis fragmenta. Quod cur fecerim quintum, causae ipsius initio commentationis expositae sunt.

Scriebam Tremesnae ineunte mense Septembri a. MDCCCXLIV.

Fridericus Schneider Vratislaviensis.



De Ciceronis fragmentis.

Quum ante hos tres annos commentationem ederem de libro Ciceroniano, qui Hortensius inscribitur, ¹⁾ id potissimum agebam, ut quo singula, quae supersunt libri illius, fragmenta sese excepissent ordine quibusque ea fuissent personis attributa, ostenderem. In ea autem scriptione ut sunt, quae etiam nunc probem, ita non desunt, quae hodie aut certius affirmata, aut rectius disputata, aut nova addita velim. Neque mirum, siquidem illam dissertationem quum scribebam, in eo potissimum elaborabam, ut fragmenta in justiore, quam quo exhibita ab Orellio sunt, ordinem revocarem. Quo ego ductus consilio diligenter perscrutatus Ciceronis libros sum, qui sunt de philosophia scripti, Lactantiique opera saepius perlegi, in quibus certe incognita ad id tempus de Hortensio judicia me reperturum non frustra speravi: sed Scholiastarum, quos idem edidit Orellius, rationem tum habui fere nullam.

¹⁾ Praemissa est prolusioni scholasticae Gymnasii Tremesnensis editaque a. hujus saeculi XLI.

Postea tamen pergenti libris Ciceronis operam dare, quum, ut par est, Scholiastas quoque ab Orellio editos perlustrarem, facta mihi copia est alia certius affirmandi, alia corrigendi, alia nova addendi.

Jam in eo, quae primo loco posui, numero referenda notitia est, quam Scholiastae debemus, qui dicitur Gronovianus quique saeculo quarto vel quinto post Christum natum vixisse ab Orellio putatur. Quae enim in Act. II. lib. I. in Verrem cap. 20. §. 54. verba leguntur: Quas enim sociorum atque amicorum urbes adisti legationis jure et nomine; si in eas vi cum exercitu imperioque invasisses, tamen, opinor, quae signa atque ornamenta ex his urbibus sustulisses, haec non in tuam domum, neque in suburbana amicorum, sed Romam in publicum deportasses: haec extrema Scholiasta ille ita illustravit (pag. 404. ed. Orel. et Bait.): Hortensium praecipue videtur significare, qui hujusmodi signis et tabulis pictis familiariter delectabatur. Id manifestius in Hortensio ostendit dialogo: **quum in villa Luculli bellum esset omni apparatu venustatis ornatum.**

Haec verba, quae omnium, quotquot fragmenta librorum Ciceronis ediderunt, fugerunt notitiam, quum aperte sint corrupta, alius alio ea modo emendare conatus est. Et Jacobus quidem Gronovius: bellum in velum mutandum esse conjecit. Cui conjecturae quominus adstipulemur, singularis numerus velum obstat, siquidem certum est probatos scriptores non esse ejus vocis nisi plurali numero usos. Schuetzius autem: balneum legendum esse suspicatus est. Contra Madvigius ita locum emendatum voluit: **Quum in villam Luculli ventum esset omni apparatu venustatis**

ornatam. Quam emendationem, quamquam justo ea longius a litteris scholii recedit, quum probarimus cum Orello, habebimus, puto, quibus conjecturam nostram stabiliamus pag. 5 Commentationis illius propositam, qua verba Ciceronis de Finibus III. c. 2. § 7. 2) secuti fragmentum 35 (ed. Orel.): Quare velim dari mihi, Luculle, jubeas indicem tragicorum, ut sumam, si qui forte mihi desunt: opinati sumus ita explicandum esse, ut, qui verba in Hortensio fecerint, ii in villam quandam Luculli convenisse statuatur. Eidem nos conjecturae insistentes propiusque, quam Madvigius fecit, ad verba Scholiastae accedentes totum locum ita refigendum arbitramur: Quum in villa Luculli bellum esset omni apparatu venustatis ornata. 3) Quam nostram rationem si quis propterea dubitet amplecti, quod bellum dictum in loco nunquam sit, is conferat verba Ciceronis ad Attic. V. ep. 17 §. 3 haec: Illum pueris locum esse **bellissimum** duximus. Sed si in re non admodum certa ludere conjectura licet, non refragemur, si quis locum ita restitui velit. Quum in villa Luculli **sacellum** esset omni apparatu venustatis ornatum. Quae altera nostra conjectura videri possit verbis stabiliri Plinii, qui H. N. lib. 35, c. 40 §. 26: Eodem tempore, inquit, fuit et Cydias, cujus tabulam Argonautas H-S. CXLIV, mill. Hortensius orator mercatus est, eique **aedem** fecit in Tusculano suo.

2) In Tusculano, quum essem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in ejus villam, ut eos ipse, ut solebam, promerem.

3) De villarum Luculli magnificentia conf. Cic. de Off. I. 39, 140, de Legg. III. 13, 30, Plut. vita Luculli c. 39.

Quod praeterea pag. 5 dissertationis nostrae scripsimus, Hortensium, qui philosophia egere eloquentiam negasset, historiae studium ut omnium gravissimum ei, qui aliquando haberi in numero oratorum vellet, commendasse, quodque fragmentum 10: Unde autem facilius, quam ex annalium monumentis aut bellica res aut omnis rei publicae disciplina cognoscitur? pariter atque fr. 12 et 33 4) Hortensio vindicavimus, id commotis ejusdem auctoritate Scholiastae nunc retractandum nobis fatendumque est, rectius quam nos Baiterum et Orellium (Onomast. Tull. pag. 351) eadem fragmenta ad Lucullum retulisse. Idem enim Scholiasta verbis Ciceronis (de imperio Pompeji cap. 10) hisce: (Pompejus) plura bella gessit, quam ceteri legerunt: hanc subjecit notationem. Constat Lucullum usque ad tempora consulatus expertem fuisse bellorum, 5) post in consulatu historiis studuisse, ut bella destituta cognosceret. Hunc in illo dialogo, qui scribitur Lucullus, Cicero docet, unde et **in Hortensio**

4) Primi fragmenti verba haec sunt: Unde aut ad agendum aut ad dicendum copia depromi major gravissimorum exemplorum, quasi incorruptorum testimoniorum, potest? Alterius haec: Tu me et alias nonnunquam et paullo ante adhortatus es, [ut] aliorum facta et eventa conquirerem.

5) Cic. Acad. II, c. 1: (Lucullus) post (consulatum) ad Mithridaticum bellum missus a senatu, non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute ejus erat, sed etiam gloriam superiorum. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui adolescentiam in forensi opera, quaesturae diuturnum tempus Murena bellum in Ponto gerente, in Asia, pace consumpserat. Sed incredibilem quaedam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam. Itaque, quum totum iter et navigationem consumpsisset partim in percontando a peritis, partim in rebus gestis legendis, in Asiam factus imperator venit, quum esset Roma profectus rei militaris rudis.

Lucullus historiam laudavit. Bene ergo, **plura bella gessit**, et attendit Lucullum, **quam** [quam] **ceteri legere.** Scripsi verba, ut scripta in editione Orel. pag. 441 exstant. In quibus quod Orellius pro verbis: bella destituta, legendum esse: bellica instituta, conjecit, ea emendatione ne opus quidem esse in tali scriptore videtur, quando quidem probabile est, similitudinem eum locutionis: rem destituere, quae eodem fere atque: rem omittere (conf. Liv. XXXIV. c. 34, 5) redit, secutum paullo audacius scripsisse: bella destituta.

Accedimus ad orationes Ciceronis, quarum nihil nisi aut perexigua fragmenta aut admodum levis notitia ad nostram aetatem pervenit. Et orationis quidem, quam Cicero discedens provincia Lilybaei habuit, cujusque unum tantummodo fragmentum Orelli pag. 444 vol. IV part. 2 attulit, ipse meminit Cicero in Divin. in Quint. Caecil. c. 1 § 2, teste Pseudo-Asconio (pag. 101). Verba Ciceronis haec sunt: (Siculi) nunc populati atque vexati, cuncti ad me publice saepe venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem: me saepe esse pollicitum, saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum: Jam ad verba: **saepe esse pollicitum**, Pseudo-Ascon. hanc addidit notationem: In ea oratione, quam decedens Lilybaei habuit. Novum praeterea testimonium addi ad orationem pro Vatinio habitam a Cicerone (ed. Orel. pag. 459) licet, repetitum illud ex Scholiis Bobiensibus (pag. 317), ubi verba Ciceronis orat. in Vatin. cap. 6. §. 14: Tu qui te Pythagoreum **soles dicere**; sic explicata Scholiis illis leguntur: Hoc ipsum plenissime purgavit atque de-

fendit et non sine laude protulit in ea oratione, quam pro ipso Vatino scribere adgressus est. Fuit autem illis temporibus Nigidius quidam, vir doctrina et eruditione studiorum praestantissimus, ad quem plurimi conveniebant. Haec ab obtrectatoribus veluti actio minus probabilis jactitabatur, quamvis ipsi Pythagorae sectatores existimari vellent. 6)

Ad orationem, qua Annium Milonem Cicero primum defendit, cujusque duo ab Orellio pag. 346 allata fragmenta sunt, haud improbable videtur cum Peyronio haec verba Scholl. Bobb. p. 346 referenda esse, mutila illa servata: **atque pernicie nostrorum omnium. Non audeo totum dicere. Videte, quid ea vitii lex habitura fuerit, cujus periculosa etiam reprehensio est.** Et quoniam Asconii facta semel mentio est, non videtur nihili faciendum ejus testimonium esse, quo Catilinam, quum ex praetura repetundarum esset a P. Clodio adolescente accusatus, defensum a Cicerone esse negat pag. 85 in orat. in toga candida. Verba Asconii haec sunt: Ante annum, quam haec dicerentur, Catilina, cum redisset ex Africa, Torquato et Cotta consulibus, accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceroni fuit.

6) Eandem orationem Quintil; XI. 1, 73 commemorat hinc: Dixit Cicero pro Gabinio et P. Vatinio, inimicissimis antea sibi hominibus. Conf. de eadem oratione Aug. Weichertum subtiliter disputantem libro, qui inscribitur: Poetarum Latinorum vitae et carminum reliquiae, p. 115 et seqq. et Abeken lib., qui inscribitur: Cicero in seinen Briefen, pag. 167 et 168.

2

Defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, 7) a M. Cicerone. Quod ego ut addubitem, haec ipsa Ciceronis oratio facit, maxime quod is nullam mentionem rei habet, cum potuerit invidiam facere competitori tam turpiter adversus se coeunti: praesertim cum alterum competitorum suum Antonium in eadem hac oratione sua admoneat, suo beneficio eum ex ultimo loco praeturae candidatum ad tertium pervenisse: **Nescis, me praetorem primum esse factum, te concessione competitorum et collatione centuriarum et meo maxime beneficio e postremo in tertium locum esse subjectum?** Conf. praeterea pag. 86 et 87. Ceterum quamquam non negamus, admodum incertum nobis argumentum Asconii videri, quippe quod in solo positum Ciceronis silentio sit, tamen ipsi, quum afferre certiora nequeamus, in verbis Ciceronis acquiescendum nunc arbitramur, qui I. ep. 2, §. 1, data ea ad Atticum anno 689 haec scripserit: Hoc tempore Catilinam, competitorum nostrum, defendere cogitamus. Iudices habemus, quos volumus, summa accusatoris voluntate. Spero, si absolutus erit, conjunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis: sin aliter acciderit, humaniter feremus. 8)

7) Hanc Asconii cum Fenestella disputationem quo jure Baiterus dicat Ferratium egregie diremisse, ignoramus, quum uti nobis Ferratii epistolis non licuerit.

8) Haud temere scripsisse Wieland. vol. I. pag. 258 vers: epistt. Ciceronis videtur, Ciceronem, quamquam brevi ante ad Attic. I. 1, haec scripsisset: Catilina, si judicatum erit meridere non lucere, certus erit competitor, tum tamen considerasse,

Neque silentio praetermittenda laudatio est, qua Serranus Domesticus mortuum filium laudavit, scripta illa a Cicerone. Conf. ad Quint. fr. III. 8, 5.

Orationem, qua Mustium Cicero defendit (Orel. pag. 460), editam non esse ex eodem intelligitur Pseudo-Asconio in Act. II. in Verrem lib. I. §. 139 (ed. Orel. pag. 195).

Commentarios causarum, de quibus Orellius pag. 461 exposuit, Asconius quoque commemorat ad orat. in toga candida pag. 87. Cujus Asconii verba quum aperte sint corrupta neque ipsi sciamus, quomodo possint sanari, simpliciter commemorasse sufficiat.

Verum non solum orationum, quas habuit Cicero, inscriptionum et fragmentorum numerus augeri potest, sed etiam epistolas, quarum indicem deperditarum Orellius a pag. 461 usque ad pag. 468 exhibuit, aliquot litterarum accessione locupletare nobis licet. Earum autem notitiam Plut. debemus. Verba Plutarchi vit. Cic. c. 24 haec sunt: Ἐπιστολαὶ δὲ παρὰ τοῦ Κικέρωνος εἰσὶ πρὸς Ἡρώδη, ἑτεροὶ δὲ πρὸς τὸν υἱὸν, ἐγκελευομένου συμφιλοσοφεῖν Κρατίλλῳ. Γοργίαν δὲ, τὸν δῆτορα αἰτιώμενος εἰς ἡδονὰς καὶ πότους προάγειν τὸ μειράκιον, ἀπελαύνει τῆς συνοσίας αὐτοῦ. Καὶ σχεδὸν αὐτῆ τε τῶν Ἑλληνικῶν μία, καὶ δευτέρα πρὸς Πέλοπα, τὸν Βυζάντιον, ἐν ὁργῇ τιμὴ γέγραπται, τὸν μὲν Γοργίαν αὐτοῦ προσηκόντως ἐπισκώπτοντος, εἶπερ ἦν φαῦλος καὶ ἀκόλαστος, ἥπερ ἐδόκει· πρὸς δὲ τὸν Πέλοπα μικρολογουμένου

Catilina, si causam, quam modo diximus, obtinisset, quam gravis esset ipsi competitor futurus, praesertim quum in summa tum Caesaris et Crassi gratia esset, simulque sperasse, si Catilinam defendisset, fore ut petitio cum eo, pro quo dixisset, facile conveniret.

καὶ μειψιμοιροῦντος, ὥσπερ ἀμελήσαντα τιμᾶς τινος αὐτῷ καὶ ψηφίσματα παρὰ Βυζαντίων γενέσθαι. Fuit autem Herodes praeceptor M. Ciceronis filii, Athenis quum hic esset. De quo magistro ep. ad Attic. 16, 3 lib. XIV, quae scripta anno 710 est, haec leguntur: Herodi... mandaram, ut mihi κατὰ μίτον scriberet: a quo adhuc nulla littera est. Vereor, ne nihil habuerit, quod mihi, quum cognossem, jucundum putaret fore. Conf. de eodem Herode ad Att. XIV. 18, 4. XV. 16. A. II. 2, 2. De Gorgia autem ad Famm. XVI. 21, 6. haec scripta exstant: De Gorgia quod mihi scribis (Tiro), erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis: sed omnia postposui, dummodo praeceptis patris parerem: διαρρήδην enim scripserat, ut eum dimitterem statim.⁹⁾ De Pelope tandem servo seu liberto haec pauca Cicero ad Attic. XIV. 8, 1. scripsit: De Byzantiis curabis ut cetera: et Pelopem ad te arcesses. Addendus autem hic ipse locus Plutarchi ad ea testimonia est, quae de Ciceronis ad filium litteris Orellius pag. 476 collegit.

Locis, quibus carminis a Cicerone de Consulatu suo compositi mentio fit, quosque Orellius pag. 567 attulit, hoc accedat iudicium depromptum ex Scholl. Bobb. pag. 267, ubi verbis orationis Plancianae c. 30 hisce: Nolo cetera, quae a me mandata sunt litteris, recitare: haec subjecta explicatio est: Suffecerat enim de ea oratione dixisse, qua vel senatui vel populo gratias egit. Nunc

9) Scripsit περί τῶν Ἀθηνησιν ἑταιρῶν et σχῆμα διανοίας καὶ λέξεως, quod in breviorē formam redactum Latine expressit Rutilius Lupus. Cfr. Ruhnkennii Praef. p. 10. Orell. et Bait.

autem et de versibus suis facere mentionem videtur, quos intempestivum sit in judiciali dissertatione recitare. Non potuit tamen in totum de is (iis) tacere. Nam de consulatu suo scripsit poetico metro, quae mihi videntur opera minus digna talis viri nomine.¹⁰⁾ Sequatur carmen (Orell. pag. 570), quod de suis se temporibus scripsisse tribus illud libris absolutum ipse testis Cicero est ad Famm. I. ep. 9.¹¹⁾ Ad hoc carmen non improbable est verba referenda esse, quae ad Quint. fr. II. 15. A, 2 leguntur, quibus suum carmen a Caesare probari Cicero dicit. Ejusdem carminis verisimile est rationem habuisse Ciceronem, quum ad eundem Quintum fr. II. 16, 5. haec scripsit: Quomodo, mi frater, de nostris versibus Caesar? Nam primum librum se legisse scripsit ad me ante et prima sic, ut neget, se ne graeca quidem meliora legisse. Reliqua ad quendam locum *ῥαθυμότερα*. Hoc enim utitur verbo. Dic mihi verum, num aut res eum aut *χαρακτῆρ* non delectat? Nihil est, quod vereare. Ego enim ne pilo quidem minus te amabo. Haec de re *φιλαλήθως* et, ut soles, scribe fraterne.

10) Haud ita loquitur noster Interpres, quod forte putet spurium illud Ciceronis poema. Hoc tantum Interpres significat, non videri sibi opera poetica aequè digna Cicerone, ac ea, quae soluta oratione scripta sunt: quod facile quis concedet. Orell: et Bait. Benignius quam Scholiasta, vix tamen rectius Plut: de Cicerone poeta iudicat vit. Cic. cap. 2, qui Plut: Ciceronem scribit, cum ingenio ad omnes disciplinas ferretur, ad poeticam tamen se magis inclinasse, factumque esse, ut non modo orator, sed etiam poeta Latinorum optimus haberetur. Verum illius quidem rei gloriam ei integram esse servatam, mutata haud parum eloquentiae ratione: hanc plane obscuratam esse atque evanuisse, quod multi post eum atque praeclari poetae existissent.

11) Conf. Aug. Weichertus l.l. pag. 46.

Neque elegiam, quae solo auctore Servio fuit **Tamelastis** inscripta, libet praeterire silentio. De quo carmine haec scripsit Nobbius: Haec elegia, incertum qua de re composita, nescio quomodo **Tamelastis** inscripta fuit uno teste Servio, in eujus quidem Mss. aliis **Thamelastis**, in aliis **Temelastis**, in aliis **Talemngais** legitur. Conjecturae si locus esset, titulum fuisse conjicerem τὰ ἐν ἐλλάσει. Ea enim verba pro more scribarum Latinis consignata litteris **Taenelasei** ita facile potuerunt corrumpi, ut tandem elegia **Tamelastis** diceretur, ut ferme signum illud caeleste ὁ ἐν γόνασιν Latine ficto nominandi casu Engonasis. De qua autem ἐλλάσει i. e. profectioe cecinerit Cicero, non ausim dicere. Quemadmodum enim prima illa profectio Sullae, ut quibusdam placet, vel valetudinis, secunda Clodii, tertia Caesaris, quarta Antonii causa suscepta, sic ipsa illa in Parthos expeditio, eujus fructu caruit, Ciceroni elegiae componendae occasionem praebere potuit. Quae si quis probaverit, poterit fortasse de eo Ciceronis itinere, de quo mentio fit Epistt. ad Att. II. 4, 3. 9, 4. 8, 2, quae scriptae sunt omnes anno 695, cogitare. Eo autem anno animum Ciceronis a componenda elegia non alienum fuisse, verbis intelligitur ad Attic. II. ep. 10 hisce: Volo ames meam constantiam. Ludos Antii spectare non placet. Est enim *ὑποσόλοιζον*, quum velim vitare omnium deliciarum suspicionem, repente ἀναγαίνεσθαι non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem. Sed ut nos quoque, quid de nomine Tamelastis videatur, declaremus, praestat fortasse statuere, sub corrupto isto vocabulo verbum

latere, quale est: *Tὰ Μέλανος*, ut Cicero putetur fata Melanis ejusdam, de quo nomine conferri ea possunt, quae leguntur vol. II. pag. 212 Lexici mythol. Nitschiani editi a Klopfero, carmine elegiaco celebrasse. Quod nomen quum esset scribis minus notum, fieri facile potuit, ut ab aliis alio modo corrumperetur.

Superest, ut carmen praeterea commemoremus, ejus titulum in collectionibus Ciceronis fragmentorum et in indicibus librorum ejus deperditorum frustra quaeras. Celebravit eo carmine Cicero Britannicam Caesaris expeditionem. Id autem et fratris precibus commotum et ut Caesari gratificaretur, qui epistolas ad Ciceronem misisset refertas omni officio, diligentia, suavitate, hunc scribere aggressum esse, colligi licet ex epist. 15. A. lib. II. ad Quintum fratrem data. Cujus quidem epistolae verba prima non possumus non hoc loco proponere. Sunt autem haec: A. d. IIII. Non. Jun., quo die Romam veni, accepi tuas litteras, datas Placentia: deinde alteras postridie, datas Laude, Nonis cum Caesaris literis, refertis omni officio, diligentia, suavitate. Sunt ista quidem magna, vel potius maxima. Habent enim vim magnam ad gloriam et ad summam dignitatem. Sed mihi crede, quem nosti, quod in istis rebus ego plurimi aestimo, id jam habeo: te scilicet primum tam inservientem communi dignitati: deinde Caesaris tantum in me amorem: quem omnibus iis honoribus, quos me a se exspectare vult, antepono. Litterae vero ejus una datae cum tuis, quarum initium est, quam suavis ei tuus adventus fuerit et recordatio veteris amoris; deinde, se effecturum, ut ego in medio dolore ac desiderio

tui, te, quum a me abesses, potissimum secum esse laetarer: incredibiliter delectarunt. Quare facis tu quidem fraterne, quod me hortaris, sed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia mea studia in istum unum conferam. Ego vero ardenti quidem studio hoc fortasse efficiam, quod saepe viatoribus, quum properant, evenit: ut, si serius, quam voluerunt, forte surrexerint; properando, etiam citius, quam si de nocte vigilassent, perveniant, quo velint: sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule saepe excitante, cursu corrigam tarditatem tum equis, tum vero — quoniam scribis poëma ab eo nostrum probari — quadrigis poëticiis. Modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. Sed quid ago? Quod mihi tempus, Romae praesertim, ut iste me rogat, manenti, vacuum ostenditur? Sed videro. Fortasse enim, ut fit, vincet tuus amor omnes difficultates. Hoc vero consilium ut strenue exsequeretur, excitatus haud dubie iis quoque literis est, quas post eas, quas modo diximus, Quintus ad eum frater miserat, omnes illas anno 700 scriptas. In iis enim hic de summo Caesaris in Marcum amore scripserat (conf. ad Quint. fr. III. 1, 10) ipseque Cicero eadem epistola (III. 1, 17) poëma ad Caesarem, quod instituisset, se incidisse declarat. Erantque res a Caesare in Britannia gestae ejus modi, ut si minus ad scribendum excitarent, tamen non deterrerent a scribendo animum Ciceronis, quippe qui ex Britannia se a Caesare accepisse literas

satis commodas de Britannicis rebus ad Quint. fr. III. 1, 25, ¹²⁾ prae se ferat.

Et quamquam poëma institutum seposuisse saepius videtur, non potuit tamen quin ad idem rediret saepius. Conf. ad Quint. fr. III. 8, 3 haec verba: Quod me institutum ad (Caesarem) poëma jubes perficere, etsi distentus quum opera, tum animo sum multo magis, tamen quoniam ex epistola, quam ad te miseram, cognovit Caesar me aliquid esse exorsum, revertar ad institutum, idque perficiam his supplicationum otiosis diebus. Suoque illi promisso Ciceronem satisfacisse, ex his verbis ep. 9. §. 6. III. ad Quint. data

12) Contra conf. ad eundem Quint. III. 1, 10: De Britannicis rebus, cognovi ex tuis literis, nihil esse, nec quod metuamus, nec quod gaudeamus.

13) De Q. Cicerone poëta conf. ad Quint. fr. II. 16, 4 verba haec: Te *ὑπόθεσιν* scribendi egregiam habere video. Quos tu situs, quas naturas rerum et locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnās, quem vero ipsum imperatorem habes! Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis, adjuvabo, et tibi versus, quos rogas, *γλαῦξ' εἰς Ἀθήνας* mittam. Ex his verbis Orelli. et Bait. Onom. Tull. p. 620 non temere collegerunt, etiam Quintum Ciceronem videri Caesaris Britannicam expeditionem litteris mandare voluisse. Quae conjectura ut verbis ipsius Ciceronis commendatur, ita stabilitur Scholl. Bobb: pag. 354 (ed Or:), quibus Quintus Cicero non solum epici, verum etiam tragici carminis scriptor fuisse dicitur. Fuisse autem Quintus Cicero ingenio quam arte praestantior videtur, quippe qui XVI diebus quatuor tragoedias absolverit. Conf. ad Quint. fr. III. 6, 7. Qua ille re simillimus Archiae poëtae fuerit, quem quod Cicero testatur, quum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum (?) versuum de iis ipsis rebus, quae tum agerentur, dixisse ex tempore revocatumque eandem rem dixisse commutatis verbis et sententiis; ex eo colligi licet, Archiam praestantiorē fuisse in arte versus ex tempore dicendi, quam in poëmatibus elaborandis atque assidue limandis. (Postrema verba sunt Orell. et Bait. Onom. Tull. pag. 343.). Jam si Orell et Bait. recte conjecerunt,

intelligitur: Quod me hortaris, ut absolvam: habeo **absolutum** suave, mihi quidem uti videtur, *ἔπος* ad Caesarem: sed quaero locupletem tabellarium, ne accidat quod Erigonae tuae: cui soli, Caesare imperatore, iter ex Gallia tutum non fuit. ¹³⁾

Scribebam Tremesnae exeunte mense Augusto a. MDCCCXLIV.

Fridericus Schneider.

Quintum Britannicam Caesaris expeditionem celebrare versibus cogitasse, ad ingeniorum illam similitudinem, quae inter Quintum et Archiam intercessit, accessit argumentorum, quae uterque sibi tractanda elegit, similitudo, quandoquidem constat Archiam eas potissimum res, quae suo ipsius tempore gestae essent, versibus ornasse et eo quidem ductum consilio, ut, quorum virorum persecutus laudes esset, eorum sibi gratiam colligeret. Conf. Onom. Tull: 1. 1.. A quo consilio ne Quinti quidem animus abhoruisse videtur, si quidem verisimile est, Caesaris, a quo quotidie plus diligeretur (conf. ad Quint. fr. III. 1, 9), gratiam ut in dies sibi conciliaret majorem, cum illud carmen componere aggressum esse. Qui re vera exstant Quinti versus epici, eos Orell et Bait. pag. 354 Scholl: Bobb. commemorant. Ea vero omnia si tenemus, Ciceronem statuendum est non inepte Archiae causam egisse; quando quidem ille, ut Quinti, qui exercebat iudicium illud, gratiam reo conciliaret, eas potissimum Archiae virtutes laudavit, quae communes ei cum Quinto essent. Sed de illa Ciceronis pro Archia oratione quid sentiamus, consilium est alio et tempore et loco pluribus exponere

